

S V M M A E

FIDEI ORTHODOXAE

D. DIONYSIO CAR-

THYSIANO AV-

THORE.

TOMVS PRIMVS.

QVAE HVIC TOMO CON-
tinentur sequens pagella docebit.

*Libera sint cuique sua iudicia, & tamen hac summa
iampridem ex Dionysio vtilius nihil prodijt.*



ANTVERPIAE,

In ædibus Viduz & Hæredum Ioannis Steylini

M. D. LXIX.

Cum gratia & Priuilegio.



REVERENDO

IN CHRISTO PATRI D. GEOR-
gio Sarens, Abbati & domino S. Trudo-
nis meritissimo, F. Theodoricus Loher
à Stratis Carthusianorum domus
S. Barbaræ in Colonia Vi-
carius. S. D.



Uita occurrunt, Reuerende pater, ac
guméta laudum tuarum, si mihi vel
animus, vel facundia esset laudandi.
Animus tamen non profus abest,
vel ingens (quis enim virtutum lau-
de prosequi non dignetur) ad tui commendatione
inhians. Verùm scio modestiam tuam, scio humili-
tatem, vt cum sis dicarisque ab omnibus magnus,
ipse tamen te ipsum nescias magnum. Vnde ne ma-
gnus quidem sed modicus, ne dicam vilis, potius
iuxta tuum iudicium vis haberi. Porro quod facun-
dia mihi desit, ingenuè fateor, maximè quanta ijs
argumentis foret necessaria. Veruntamen non vs-
quequaque id mirum, cum tantam rei postulet
magnitudo eloquentiam, vt etiam si Demosthe-
nes ipse adesset, superatum se fateretur. Quæso
tamen R. T. P. vt si virtutes tacere cogar tuas:
quæ certatim occurrentes commendari postulant,
sint vt quod in omnium admiratione, in om-
nium est ore, dicam: Nempe non absque maxi-
mo merito tuo esse factum, vt qui olim in monaste-
rio dicto Bone & ordinis Premonstratensis fueris
* ij Abbas,

D. DIONYSII

CARTHUSIANI, IN PRIMUM LIBRUM SUMMÆ FIDEI

orthodoxæ: in quo agitur de Deo, eiusque attributis, de trinitate personarum, de rerum creatione, de angelis eorumque cognitione, de anima & eius potentijs, de productione, statu, conditione, loco, & propagatione hominis, de mundi gubernatione, de angelorum distinctione atque officijs, deque impugnatione demonum & fato.

PRÆFATIONCVLA.

NEMINEM diligit Deus, nisi qui cum sapientia inhabitat. Sapientia autem diuina est possessio atque diuinorum agnitio. Unde non tantum Dei, sed separatarum quoque substantiarum notitia, sapientia appellatur. Idcirco theologus (qui solus perfectè sapiens perhibetur inter omnes qui inter homines sapientes censentur) non tantum de diuinitate & concernentibus eam, sed etiam de entibus diuinis determinare habet: imò de omnibus quæ ad fidem ordinantur. Et quoniam anima rationalis, est supergloriosissimæ trinitatis imago, & intelligentia quædam obumbrata, secundum Isaac Israëlitam philosophum: ideò in præsentî editione principaliter quidem de Deo, secundariò vero de angelis & anima intellectuali inquisitio fiet, secundum quod incipientibus imperfectisque congruit, difficiliora & secretiora relinquendo alij loco.

¶ *Præfatiunculæ finit.*

¶ *An sacra doctrina (id est, theologia) sit necessaria. 2. An sit sciëntia. 3. An vna vel plures. 4. An sit speculatiua vel practica. 5. Et de comparatione eius ad alias scientias. Articulus. 1.*